Silesia (hist.) 3.7.314 Z 8

DE EO, QUO SILESIAE DUCATUS
SAECULO XIV. CUM REGNO BOHEMIAE FUERINT
CONJUNCTI, NEXU FEUDALI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS HISTORICA

QUAM SCRIPSIT
ET
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
CONSENSU ET AUCTORITATE
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA
VRATISLAVIENSI
AD SUMMOS
IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
KAL. MAJIS A. MDCCCLXV. HORA X.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
EDMUNDUS FRANKE,
SILESIUS.

ADVERSARII ERUNT:
ROBERTUS ROESZLER, DR. PHIL.
JOSEPHUS STANGE, STUD. PHIL.
FRANC. HIRSCHWAELDER, STUD. THEOL. CATH.

OPOLII,
EX OFFICINA ERDMANNI RAABE.

1865

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

RICHARDO ROEPELL.



Silesiam inde ab anno MCLXIII. Duces habuerunt Piasti, initio tres illi Wladislai II. filii, quibus terra omnis distributa est, Boleslaus, Miecyslaus, Conradus; sub vero saeculi XIII. finem, quum terris partiendis jure polonico nihil obstaret impedimenti, duodeviginti. In Silesia enim superiore erant Duces: Koslensis, Osueczensis, Tessinensis, Opuliensis, Falkenbergensis, Strelicensis, Ratiboriensis, in altera parte: Wratislaviensis, Lignicensis, Bregensis, Swidnicensis, Javorensis, Monsterborgensis, Glogoviensis, Saganiensis, Olsnensis, Stinaviensis (Namslaviensis). Qui continuis inter se discordiis ac pugnis eaque, quae ex malo imperio oriri solet, inopia, magis in dies debilitati regum denique Bohemiae prudentia atque artibus eo adducti sunt, ut Vasallos se regni atque coronae Bohemiae esse faterentur[1]). Ac primus omnium Kasimirus II., Dux Opuliensis Dominusque Bithumiensis, cujus pater Wladislaus Ottocaro regi amicitia conjunctus fuerat, quum bellum inter Polonos ac Bohemos grave impenderet, neque utra sibi pars sequenda esset, sciret, terram suam ne plane amitteret, metuens Pragam profectus Wenceslao regi coronaeque Bohemiae totum ducatum suum filiis ac fidelibus consentientibus obtulit oblatumque recepit feudum Bohemicum (IV. Id. Jan. MCCLXXXIX); quem secuti sunt (a. MCCXCI d. XVII. Jan.) Miecyslaus et Boleslaus, fratres ejus, duces Opuliensis, Rati-

---

[1]) Cfr. Sommersbergii Scriptt. rerum Silesiacarum I. 881. Dipl. CVII.; Stenzel, Geschichte Schlesiens pag. 105.; Roepell, Geschichte Polens p. 546—549.; Palacky, Geschichte von Böhmen II, 1, 366.

boriensis, Tessinensis[2]). Johanni vero Bohemiae regi comitique Lucemburgensi, quum regno pacato imperioque confirmato in Silesiam intraret, ut cum Henrico VI., Wratislaviensi Duce, de transferendo ducatu ageret, duces Falkenbergensis[3]) Koslensisque[4]) d. XVIII. et XIX. mens. Febr., et die XXIV. mens. Febr. Kasimirus Tessinensis[5]), Johannes Osueczensis[6]), Lesco (Ladislaus) Ratiborensis[7]), die Palma-

---

[2]) Superioris Silesiae Duces Opulienses ipsi se appellabant adjecto urbis nomine vel territorii, quod proprium habebant. Ceteri vero duces Silesiaci nominabantur, qui portione totali terrarum a. 1202 (cfr.: „Geschichte Schlesiens von Stenzel" p. 34.) inter Mieceslaum Opuliensem et Henricum I. ducem Silesiae atque Wratislaviensem facta mutua hereditate non utebantur. Superioris igitur Silesiae duces saeculi XIV. quum omnes a Wladislao Opuliensi descendentes Vasalli iam regni Bohemici facti jus succedendi in feudis ducum sibi cognatorum, si qui filiis non relictis de vita decesserant, apud regem exsequerentur, hanc tabulam ex Sommersbergii Scriptt. Siles. I, 666. sumtam esse afferendam putavi:

Wladislaus, Dux de Opol. † 1288.

- Miesco Opul.
  - Viola.
- Kasimir II. Opul. et Bithum.
  - N. N. † 1306.
    - Boleslaus Osueczens.
    - Wladislaus Tessin. †1355. (Coslensis.)
    - Kasimir III. Tessin. † 1358.
- Boleslaus I. Opul. † 1313.
  - Bolko II. Falkenb.
  - Bolko III. Opul. †1368.
  - Albert Strelic. †1361.
- Przemislaus Opul. et Ratib.
  - Lesco Ratib.
  - Offka. (Euphemia).

[3]) Cfr. Bolkonis (II.) ducis Falkenbergensis litteras Sommersberg. Scriptt. Sil. I, 804, datas Oppaviae XII. Kal. Mart. a. 1327.

[4]) Cfr. Wladislai Coslensis diplom. d. Oppaviae XI. Kal. Mart. a. 1327. Sommersb. Scriptt. Siles. III. diplom. CXV.; pro ducatu omni et urbibus Cosla, Bithom, Pissinkretscham et castris Tost et Slavityn.

[5]) Cfr. Kasimiri Tessinensis dipl. d. Boeotung VI. Kal. Mart. 1327, Sommersberg. Scriptt. Sil. I., 804, pro territoriis, urbibus, civitatibus, castris: Teschen, Freyenstadt, Belicz, Zehofschwe, Jemnitz, Astravia.

[6]) Cfr. Johannis Osueczensis dipl. d. Boeotung a. 1327. VI. Kal. Mart. Sommersb. Scriptt. Sil. I., 807, quod diplomati Tessinensi simillimum est; pro ducatu et urbe Osueczem cum castris Zator, Kant, Zipsa, Wadowicz, Spicowicz.

[7]) Lesconis Ratiboriensis diploma, quo terram suam et Ratibor civitatem cum castro Losla, Sor et Plesna civitatibus et Kluwicz (Glywicz) civitate sibi obligata, Ribinck (Ribnick) castro cum oppido regi offert et in feudum recipit. Quod diploma praeter Cod. Dipl. Silesiae VI, 314 non inveni, nisi in libro manuscripto p. 470 sq., qui nunc est Capituli Cathedratici Wratislaviensis sic inscriptus: „Privilegia Regis Bohemiae, Item

rum autem (d. V. mens. Aprl.) Boleslaus III. Opuliensis [8]) dux homagium fecerunt et juramentum fidelitatis praestiterunt; postero die Henricus VI. [9]) ducatum suum Wratislaviensem cum omnibus pertinentiis regi donavit; III. Kal. Maj. a. MCCCXXIX. Johannes dux Stinaviensis [10]), d. IX. mens. Maj. Boleslaus III. Legnicensis [11]); atque eodem illo die Henricus Saganensis [12]); die X. mens. Maj. Conradus

---

Ecclesiae Vratislaviensis et aliquorum ordinum in Silesia", 530 paginas continens, in quarum ultima leguntur haec verba:

„Et hic est finis. Laus Deo omnipotenti. Ego Caspar a Nymeck scripsi hunc librum magna cum diligentia nec non labore in tribus mensibus nempe Junio, Julio et Augusto. Datum Wratislaviae Anno 1548 die 3. Semptembris." Qui codex quum diligentissime conscriptus sit, inspicienti mihi multo meliores lectiones praebuisse videbatur, quam ea, quae a Sommersbergio impressa sunt diplomata; quare locos non nullos inde sumendos putavi.

8) Cfr. Boleslai Opuliensis litteras Sommersberg. l. c. I. dipl. CIX.

9) Cfr. diploma Henrici VI., Sommersberg I, 843, ex quo haec mihi verba afferenda videntur, quibus ducem terram in feudum non recepisse intelligatur:

„Spondemus, quod idem ingenuus Princeps . . . debet esse totius Vitae temporibus et permanere Civitatis Wrat. . . . verus cum plena potestate Dominus, et non alter, videlicet cum titulo, auctoritate, pertinentiis . . . Judiciis, Jure Patronatus . . . et generaliter cum omni Dominio et jure, nullo penitus excluso, quibus hucusque usus est . . . solo homagio per praedictos Cives ac fideles suos Wrat. feudales, nobis heredibus ac successoribus B. Regibus semper reservato."

Cfr. ad hunc locum: Thebesii annales Legnicenses II. 117, 163.

10) Id diploma a. d. IV. Kal. Mai. commemoratur in Waltheri Silesia Diplomatica II, 506. Litterae vero Originales in archivo Imperiali sunt Vindobonensi, ut pleraque documentorum, quae nexum feudalem respiciunt. Offeruntur autem cum ducatu civitates: Steinau, Lubin, Gorau. Diplomate alio Johannis regis d. 1338. Aldenau (cfr. Priv. Regis Boh. p. 307.) ad ducatum pertinuisse videntur: urbes Stinavia, Gora, Frauenstadt, castra Polkowitz, Heincendorf, nova civitas, Lynda, Gobenau.

11) Cfr. Investituram Boleslai III. in Thebesii annal. Legnic. II. 171. seq.; de ducatu et civitate Legnitz, Haynau, Goldberg, Chotzenau, Brieg, Nimtsch, Olau, Grotkau, Namslau, Berolstadt, Kreuzburg, Landsperg, Tiefensee, Pitschin.

12) Cfr. Henrici Saganensis litt. Sommersb. I. diplom. LXVIII. d. feria III. post Domin. Miser. 1329 Wratislaviae; pro ducatu Glogoviensi et Saganensi cum civitatibus et castris: Zagan, Freinstadt, Sprottau, Grunemberch, Krossen, Numburch, Wartemberch, Malmitz, Pusa, Pobersberg, Zul-

Olsnensis[13]) ducatus suos regi obtulerunt. A Johanne, Stinaviae duce[14]), qui pecunia semper carebat, rex mediam Glogoviae partem emit atque urbi (MCCCXXXI. mens. Septbr.) per dolum expugnatae capitaneum praeposuit. Boleslaum (Bolkonem) ducem Monsterborgensem[15]) Carolus, regis filius, inopia pressum terra devastata eo adduxit, ut Straubingii anno MCCCXXXVI. in festo Decollationis Scti. Johannis Baptistae (d. XXIX. mens. Aug.) Vasallus Bohemiae fieret. Denique rex episcopo Wratislaviensi[16]), qui districtum Grotkoviensem in pignore habebat, eam urbem idque territorium in feudum dedit ea conditione, ut episcopus et capitulum „ratione terrae dictae Grotkov ad jura feudalia secundum naturam veri feudi, tanquam Vasallus et Princeps Domino suo, se faterentur obligatos."

Silesiae igitur ducatus omnes usque ad a. c. MCCCL. feuda Bohemiae facti sunt, Wratislaviensi excepto, qui post mortem Henrici VI. plane ad regnum illud devolutus est. Resistebat autem et Johanni regi et Carolo ejus filio, quamvis summam navarent operam, omnium maxime Boleslaus, vir fortissimus, dux Swidnicensis et Javorensis[17]). Quem etiamsi ad deditionem, ut ceteros, non adduxerunt, id tamen effecerunt, ut Annam fratris filiam, quum ipse liberis careret, heredem suam' Carolo, Moraviae Marchioni in matrimonium daret terrasque suas ita ei donaret, ut post mortem Agnetis

---

chow, Swibzin, Lubnaw, Brutnicz, Bentschitz, Kopanicz, Stondendorff, Netka, Babinmost, Premlikaw, Przibrow, Prebechow.

13) Cfr. Conradi Olsnensis litt. Sommerb. I. dipl. L. d. Wratislaviae VI. Idus Majas 1329; pro Olsna, Wartemberg, Militsch, Trebnitz, Trachenberg, Wolau, Lubens, Winsk, Herrenstadt, Prausnitz, Sandoval.

14) Cfr. Ludewig, Reliquias M. Scriptt. Tom. V. p. 550.

15) Cfr. Balbini Miscell. ep. 33., Ludewig Rel. M. S. V. 558. Sommersberg I. dipl. LXXI. d. Straubingii pro Münsterberg, Reichenbach, Frankenstein, Strelin, Kant, Sobotka, Patskau.

16) Cfr. Stenzel, Urkunden zur Geschichte des Bisthums Breslau, p. 297., ubi diploma a. 1344. 19. Jan. invenitur de vendito a Boleslao territorio, et Cod. Dipl. Moraviae VII. 411, qui litteras de investitura episcopi Pragae IX. Kal. Decbr. i. e. d. XXIII. mens. Novbr. factas ex autographo descriptas continet.

17) Cfr. Stenzel, Geschichte Schlesiens p. 131.

uxoris cum Bohemiae regno immediate conjungerentur (d. IV. mens. Jul. a. MCCCLIII.).

Annis duobus post Carolus IV. imperator[18]) „sicut dudum de plenitudine Romanae Regiae potestatis statuendum duxerat" — „propter indefessam solicitudinis operam et diligentiam exquisitam, quam . . . proavus (sc. Ottocarus rex) pater ac progenitores sui carissimi, quondam Bohemiae reges, ad obtinendum subditionis Vasallagium et obedientiam Illustrium Silesiae ducum, videlicet: Legnicensis, Bregensis, Monsterbergensis, Olsnensis, Glogoviensis, Saganensis, Opuliensis, Falkenbergensis, Strelicensis, Tessinensis, Koslensis, Buthumiensis, Stinaviensis, Osueczensis[19]), Principum et fidelium suorum . . . . non absque magnis impensis et infinitis laboribus habuerant . . . . . auctoritate imperiali dictos Silesiae . . . duces suos Principes et Vasallos, cum principatibus feudis et vasallagiis ipsorum, praesertim cum a corona Regni praefati immediate dependerent . . . . eidem Regno et ejus felici Coronae in perpetuum adjunxit, incorporavit, invisceravit, adscripsit, etc. . . ."

Quare quum fere omnes Silesiae duces Vasalli ac Principes regni Bohemiae saeculo XIV. essent atque ea maxime

---

18) Cfr. Dipl. d. Pragae VII. Idus (i. e. d. 9. mens.) Octbr. 1355. apud Balbin. Misc. Dec. I. lib. V. Vol. I. p. I. Ep. 49 et 52; Goldast de Juribus Regni Boh. in appendice Document. N. 44 et 47.

19) Ducatus Oppaviensis non erat Silesiae saec. XIV.; quamquam interdum una cum Silesiacis terris nominatur; cfr. Walther, Silesia Dipl. II. 497, ubi hoc diploma adnotatur:

> „Carolus IV. Imperator confert in feudum Regni Boh. Marchionatum Moraviae cum pertinentiis universis nominatimque Ducatum Oppaviae fratri Germano Johanni, Marchioni Moraviae, addita confirmatione Litterarum regis Ottocari II., quibus terram Oppaviensem in Ducatum regno Bohemiae immediate subjectum erigit. Pragae Kal. Octbr. 1355;" et Walther l. c. II. 496:

> „Caroli IV. Imperatoris Recognitio, quod Marchionatus Moraviae et Ducatus Oppaviensis sint feuda hereditaria Regum et regni Bohemiae. Pragae VII. Jdus Apriles 1348."

Ceterum Oppaviensem ducatum a. 1318. Nicalao ad ducalem dignitatem promoto Johannes rex alia conditione atque Silesiae postea principibus tradidit (cfr. Sommersbg. I, 840.

ratione plus duobus saeculis Silesiae ducatus cum regno et corona Bohemiae essent conjuncti, hanc ego rem tractandam suscepi, ut, quae esset illa feudorum natura, exponerem diplomatis usus ac documentis maxime iis, quibus duces homagio facto juramentoque fidelitatis praestito superioritatem regum Bohemiae agnoscunt juribus et officiis, quae utrique vel concessissent vel suscepissent, specialiter adjectis. Praeterea eae res ac formulae ibi continentur, quae si cum ceteris ejusmodi in Germania usitatis documentis comparamus, facile intelligamus, quomodo feuda principum sint constituta; nec vero in hac re minoris momenti exsistit, quidquid documentorum de emtis, venditis, obligatis, donatis terris vel juribus superest, quibusque reges Bohemiae aliquas ducibus res concedunt; quoniam, quod duces ipsi saepe agunt inter se sine regum permissu, id necesse est iis licuisse. Tamen, quum neque exstent omnium ducum illa investiturae diplomata, neque in iis, quae supersunt, ita omnes res inter se similes sint, ut, si quid in altero desit, id ex altero facile sumi possit: de iis maxime rebus et qualitatibus, quae omnibus Silesiacis feudis sunt communes et necessariae ad cognoscendam feudorum naturam, hoc loco erit disserendum.

A. De generali feudorum Silesiae natura.

Qualis feudorum in Silesia illorum ratio ac natura, ut ita dicam, generalis fuerit, vel ex verbis quibusdam, quae in omnibus ejusmodi documentis inveniuntur, ac formulis intelligitur. Etenim et Duces confitentur:

„In regis ipsius manibus sponte ac libere resignantes (i. e. renunciantes terris suis ac pertinentiis etc.) in feudum — in feudum honorabile — in feudum perpetuum — hereditarium — in verum feudum — jure feudali — jure nomine et titulo feudali omnia se recepisse; — facto Regi per se fidelitatis debitae homagio — tanquam Principem et Vasallum Regi tanquam suo et feudi Domino homagium se fecisse et fidelitatem, devotionem

et obedientiam perpetuam promisisse corporali Juramento interposito;" —

rex vero

„Illustres principes ac fideles suos"

illos nominat promittens:

„in omnibus juribus et libertatibus eis competentibus eos conservare et tueri" — atque

„in protectionem et tutelam suam" eos recipiens.

Quibus rebus haec comprobantur:

I. Sponte duces Silesiae ac libere ducatus suos cum omnibus juribus eo pertinentibus coronae ac regibus Bohemiae, non vi coactos, sed consilio deliberato et maturo, tradidisse vel obtulisse pacto antea de infeudando, quod dicitur, facto.

II. Easdem istas terras a rege duces ut Principatus et Ducatus jure feudali recepisse. (Fiebat autem rex Bohemiae „Dominus directus" i. e. verus dominus terrarum, „dominium utile" vel possessionem Duci infeudando tradens).

III. Vera fuisse illa feuda Ducesque jure feudali (non curiali vel, ut homines) a Rege constitutos.

IV. Jus possessionis non solum Ducibus tum infeudatis, sed etiam successoribus eorum et heredibus fuisse.

V. Ea, quae Regi feudum tradenti duces promiserant, etiam heredibus ejus et successoribus et coronae Bohemiae tenenda fuisse.

His igitur rebus, quamvis perpaucis, tamen id constat, vera feuda principum fuisse illa Silesiaca atque ea fere, qua in Germania fieri solebat, ratione constituta illisque similia, quae tum prope Silesiam in territoriis quibusdam cum Bohemia conjunctis erant, velut in Polonia Ducatus Plocensis vel Masoviae[20]), in Moravia Oppaviensis; si quidem „feudis prin-

---

[20]) Ducatibus Moraviae atque Plocensi diplomatis Codd. Privileg. Regis Boh. p. 293 seq. perspicitur nihil commune cum Silesiacis fuisse. Sed Ducis Plocensis Litterae, d. Plock 1329. feria 4. post „oculi mei semper", quibus „terram suam Mazoviensem hereditariam de gentilium manibus ereptam, sicut ad ipsum deducta erat, liberam et a nullo unquam imperatore aut etiam rege in feodum prius receptum, cum castris suis Plock sci-

cipum" ita utimur, ut sensum quendam in S. Romano Imperio usitatum evitemus, quo feuda principum illa nominabantur, quibus per vexillum Imperator viros Illustres investiens S. Romani imperii Principes reddebat. Nam Bohemiae principes facti sunt Duces Silesiae, non Romani Imperii, cujus tamen pars erat Bohemia. Nec vero illa nativa dignitas, quod ex regia Piasti gente orti erant, demta eis est vel diminuta, sed et filias suas principibus postea nupserunt[21]) ipsique filias regum ac principum in matrimonium duxerunt, et „dei gratia" [22]) constitutos se aeque atque antea professi sunt. Remanserunt igitur in Ducatu vel Principatu, ita vero, ut, quum liberi usque fuissent nulli alii Domino obligati vel obedientes, pro toto et omni Ducatu in feudum recepto Regi Bohemiae, tanquam Vasallus domino suo, parerent. Id quidem veri simile est, nec Wenceslaum II. nec Johannem Bohemiae reges operam navasse, ut potestatem ducum copiamque eam, quae super nobiles et cives et subditos eis esset, labefactarent vel diminuerent, quoniam id maxime petebant, ut Duces Silesiae, ne partem Polonicam sequentes sibi nocerent, aliquo modo temporibus aptissimo cum Bohemiae regno conjungerent.

---

licet, Wissigrado et Costyn civitatibus" regi offert, easdem fere, quas Silesiae diplomatis, res inter regem et ducem illum conventas esse docent; quin vero, quae ad verba ipsa pertinet, Boleslai Munsterbergensis simillimae sunt.

[21]) Velut Carolus IV. Imperator ipse Annam in matrimonium duxit filiam Henrici II. Javorensis; Fridericus I. Legnicensis Ludmillam, Georgii Bohemiae regis filiam; Rudolphus, princeps elector Saxoniae, Barbaram Ruperti Legnicensis filiam; Johannes Georgius Brandenburgensis Sophiam ducissam Legnicensem; Fridericus II. Legnicensis Sophiam, Friderici Marchionis Brandenburg. filiam (auctore Schikfussio).

[22]) Cfr. haec diplomatum exordia:

Sommersberg. Scriptt.	I, 884:	„Nos Lesco Dei gratia Dux Ratiboriensis" a. 1334.
" "	I, 834:	„Nos Boleslaus Dei gratia Dux Silesiae et Dominus Legnicensis" a. 1339.
" "	I, 884:	„Nos Wladislaus Dei gratia Dux Bithumiensis a. 1334.
" "	I, 886:	„Nos Lutgardis Dei gratia Ducissa Bithumiensis a. 1358."

B. De speciali feudorum natura.

Quare quum principalis feudorum Silesiae ratio ac natura demonstrata sit, sequitur, — id quod gravius est — ut omnibus, quantum potest, inter se feudis comparatis cognoscamus, quae sint eae qualitates, quibus a ceteris ejusmodi feudis discrepent. Quae res ita se optime habebit, ut primum de constitutione feudorum, tum de juribus et officiis ex investitura deductis et derivatis, deinde de tempore feudorum disserendum sit.

I. De constitutione feudorum.

Constitutionem igitur feudorum quod attinet: non alia de causa facta est — id quod jam antea commemoravi — nisi ea, quod ipsi duces terras suas Wenceslao et Johanni Regibus offerentes id de infeudando pactum fecerant, ut eisdem illis terris investirentur. Nec vero necesse est, tempus quoddam inter oblationem et traditionem feudorum perageretur; nam, quod de ea re in feudis aliis reperiri solet, id Silesiacis nullis comprobatur documentis.

Modus infeudandi qui fuerit, haud facile intelligatur, nisi, quidquid de ea re, quamvis perpaucum, restat, cum iis, quae in S. Imperio usitata erant, comparemus. Atque id quidem constat, coram nobilibus ac fidelibus[23]) factam esse investituram, quippe qui ipsi ducum homagio et juramento regibus obligarentur. Testibus autem utebantur episcopis et principibus sive Bohemicis sive Silesiacis, et aliis viris il-

---

[23]) Cfr. Boleslai III. Monsterb. diploma Sommersberg. I, 848:

„adstantibus nonnullis proceribus et Magnatibus et in praesentia Dominorum . . .“

et Kasimiri Bithum. Sommersbg. l. c. I. 881, qui Barones, Nobiles, terrigenas alios, Cives, incolas universos Ducatus a fidelitate et homagio sibi praestito absolvit. Testes viri Illustres et nobiles omnibus fere diplomatis existunt, velut investiturae filiorum Boleslai III. Legnicensis (Pragae III. Kal. Aug. 1343) intererant: Boleslaus genitor, Nicolaus Oppaviae et Ratibor duces, Episcopus Olomucenses etc.“

lustribus atque nobilibus. Solenni in hac corona dux, qui investiretur, ad regem procedens per vexillum[24]) traditum, (quod quidem Kasimirum ducem Buthumiensem fecisse scimus) Ducatui suo renunciabat pro se heredibus suis et successoribus:

„et specialiter illi libertati, quam Praedecessores sui Duces ... habuerant in antea, et quam ipse huc usque habuerat et sui filii heredes et successores in futurum habuissent ex consuetudine aliqua vel de Jure in eo, quod nulli alteri Principi poterant subjici vel debebant."

Quo facto conjunctas suas supra caput manus tanquam supplicans in regis manus[25]) imponens, quae erat commendationis forma, homagium faciebat; Rex vero ad fidem et religionem eam, qua Vasallus cum domino conjunctus esse deberet, amplectebatur eum et osculabatur. Juramentum deinde fidelitatis Dux praestabat contacto evangelio his fere verbis[26]):

„Ego ... fidelitatem, devotionem et obedientiam perpetuam facio et promitto corporali Juramento interposito ... obligando nihilominus me, filios, heredes et successores meos solenni stipulatione interposita ... Vobis et successoribus vestris, Regibus Bohemiae, quod quotiescunque vel quandocunque jusseritis, vel vestri jusserint successores, vos et eos juvabo, juvari volo per successores meos contra omnem hominem fideliter toto posse tanquam Vester Vasallus quilibet, sive Baro Regni vestri. Nec non ad omnia et singula in perpetuum, quae Jura feudi exigunt et requirunt, et etiam ad illa, quae quisque Vasallus suo vero Domino facere potest est in omnibus atque debet. Promitto insuper pro me, heredibus et successoribus meis praedictis ... omnia et singula praedicta rata et

---

24) Cfr. Litteras reversales Kasimiri Sommersbg. I, 881: „resigno publice per vexillum meum eundem meum Ducatum."

25) Ita rem se habuisse formula: „in regis ipsius manibus resignantes ..." comprobare videtur.

26) Cfr. Kasimiri dipl. Sommersbg. I, 881, a quo in ea re alia non magnopere discrepant, alia eadem fere verba praebent, ut ducum Monsterbg. Sommersbg. I, 848 et Plocensis.

firma tenere et adimplere ac servare perpetuo nec unquam contra eadem vel eorum aliquod venire vel facere per me vel alios aut aliud quodammodo. Et renuncians expresse . . . . . omni actioni, defensioni, rei cuilibet aut auxilio Juris Canonici et Civilis, Consuetudinibus, Constitutionibus et Statutis contrariis, privilegiis seu indulgentiis quibuslibet, et illis specialiter privilegiis seu indulgentiis, quibus a Sede Apostolica vel a Romano Imperio seu a quibuscunque aliis vel alio Poloniae principibus est provisum, ne Alemanniae vel aliis Principibus se subjiciant et iis homagium faciant et aliis quibuscunque tam generalibus, quam specialibus privilegiis seu indulgentiis, quas vel quae heredes contra praedicta possent de Jure objicere vel de facto . . . .“

In investitura ipsa cappa rex vel potius bireto usus esse videtur; Bolkoni III. quidem, Duci Legnicensi „per osculum hinc et inde praelibatum ac biretum reassumptum“ feudum tradidit. Quare quum ea ratione in Germania quoque non solum principes, sed abbates et clerici investirentur atque in curia Brandenburgensi vasalli ex bireto vel tiara principali ipsis oblata manu feudum sumerent, nihil est, cur dubitemus, quin communis illa investiendi ratio fuerit in Silesia reservata.

Loco denique ad inaugurationem uti poterat qualibet praeter ecclesias et coemeteria, ubi muneribus judicialibus fungi non licebat. Quare etiamsi, in qua quis urbe quove castro sit infeudatus, scimus, de ea re nihil speciale traditum habemus excepto Boleslao III. Duce Legnicensi et Bregensi, quem cum filiis suis Wenceslao et Ludovico ante portam aedis St. Johannis Wratislaviensis [27]) a Johanne rege feudum suum recepisse diplomate quodam constat.

---

27) Cfr. dipl. Ducum Legnicensium d. Pragae 1331., Ludewig Rel. M. V. 609:

„ante fores ecclesiae Beati Johannis in Wratislavia submisimus ditioni . . .“

II. De juribus ducum Silesiae atque officiis Regni Bohemiae vasallorum.

Duces igitur Silesiae quum tali ratione regibus Bohemiae se dedissent, Vasalli facti, ut juremento ipsi confirmarant — omnia ea, quae Vasallus Domino debet, tenenda susceperant. Officiorum autem origo et fons est illa, quam jurati sunt, fidelitas, qua „in regem intenderent eique parerent[28])“ oportebat nec quidquam suscipere contra eum, quod ei noceret vel ejus juribus offenderet. Quare neque alii domino homagium facere nec ipsi libertatem eam, quam antea habuerant, recuperare debebant, nec conspirare cum hostibus ejus vel in castra eos et urbes suas admittere vel introducere; rex autem, ut jam antea dictum est, in tutelam suam recepit eos in omnibus juribus ac libertatibus conservare pollicitus. Pietate igitur quadam, quae illi inter consanguineos exsistenti simillima est, inter se rex et duces religati erant et conjuncti; nec vero certa quaedam ex ea re officia vel servitia deducenda sunt, nisi quod principibus, quum essent vasalli, jussis a domino parendum atque in omnibus rebus, quae eo pertinebant, respondendum erat, quamquam — id, quod postea demonstrandum erit, — multa ducibus a rege concessa sunt, quae in terris et ducatibus haud debiliorem reddebant eorum potestatem.

Neque enim soli Boleslao III. illi Legnicensi et Bregensi, qui regis affinis erat, omnes lites, quae sibi suisque successoribus cum nobilibus essent, ipsi componere licebat[29]). Nam nulla re comprobari videtur regem ejusmodi rebus intercessisse, nisi subvasalli de judicio injuste facto querebantur vel de jure plane denegato. Ducibus enim, etiamsi ipsi communi jure

---

28) Cfr. dipl. Conradi Olsnensis Sommesrbg. I, 833. dipl. L. et Henrico Saganensis Sommersb. I. dipl. LXVIII.

29) Cfr. Dipl. de investitura Boleslai III. facto, Thebes. annal. Legnic. II, 171 sqq.

feudali regibus erant obligati, curiae[30]) tamen relictae sunt et ad decribenda feuda aliquibus data et ad confirmanda ea, quae mortuis vasallis ad heredes transirent, et ad exigenda ea, quae vacua essent.

Jure enim feudali plerique nobilium in Silesia cum ducibus conjuncti erant, quorum pars a principibus evocati eo migraverant magnis privilegiis et libertatibus praediti; quibus si quid cum aliis nobilibus agendum erat, apud tribunal ex vasallis aequalibus vel paribus curiae, qui dicuntur, compositum fiebat judicium. Ubi duces Silesiae etiam, si quid ipsi cum nobilibus suis agebant et baronibus, judicibus rem proponebant. Quorum sententia si contenti illi non erant, regibus, quorum essent subvasalli, querelas proponere licebat. Atque etiam id satis constat, a principibus, si de causa aliqua litigantibus controversia non componebatur, regem ad dijudicandum evocatum esse. Quae res quomodo se habuerit, locis quibusdam perspicitur, qui de loco judicii deque personis judicantium atque ratione judicii aliquid afferunt. Insunt enim in illo Boleslai III. diplomate jam laudato haec verba: „Beklagen des Herzogs Genossen den Herzog, so muss er sich überall stellen, in Polen oder Böhmen.“ Et duces Olsnensis atque Saganensis ita rem inter se atque regem conventam esse profitentur[31]):

> „Si nobiles vel fideles terrarum nostrarum superscriptarum debitam per nos ,heredes vel successores nostros de suis questionibus aut caussis nobis motis, de quibus juxta litterarum regalium datarum nobis continentiam

---

[30]) Libro quodam archivi provincialis Wratislaviensis regii auctore diploma exstat in archivo publ. Vindob.:

> „d. in Brega d. III. mens. Mart., quo Boleslaus dux Legnic. et filii ejus Wenceslaus et Ludovicus Johanni Engilgen terras sibi devolutas Piskerow et Swoykaw tradunt.“

Altero diplomate a. 1351. Walther Sil. Dipl. II. 423 adnotato Nicolaus dux Munsterbg. Henrico de Swyn Wicherow tradit possidendum. (Henricus VI. Wratislav. Kal. Aprl. a. 1327. munus Burggravii in oppido Neumarkt fratribus de Reideburg tradit. Reg. in Arch. prov. Wrat.).

[31]) Sic Liber Privil. Regis Boh. In Sommersb. Scrippt. I. 832, 833 varia quaedam sunt, nec vero ea, quae alium sensum praebeant; velut successoribus ac hered.“ „tenebimur conquirentibus;“ „judicio“ etc.

secundum fidelium nostrorum sententiam et dictamen subire tenemur et facere judicium, assequi non possint justitiam: regem heredes et successores suos notatos adire poterunt libere querelas ipsorum proponere et defectus . . . . ." „Nos heredes et successores nostri . . . citati ibidem coram rege et successoribus et heredibus suis, Bohemiae regibus, ubicunque Boemie fuerint aut Polonie, coram altero vero principe per eos ad hoc judice deputato, sisti tenebuntur in terra Wratislavie dumtaxat judicium facere et subire de nobis heredibus et successoribus nostris conquerentibus quibuslibet justitie complementum." —

Nec omittendus est locus quidam[32]) in Bolkonis ducis Falkenbergensis litteris iis, quas anno MCCCLIX. ad regem misit veniam ab eo petens, quod Przeslao episcopo Wratislaviensi, qui propter territorium Grotkoviense in feudum receptum ipse regi religatus erat, injuriam fecisset. Epistola enim episcopum sibi inimicum ad regis Polonici judicium citaverat. De qua re quum Bohemiae rex certior factus esset graviterque irasceretur, Bolko ad reconciliandum eum id confessus est, noluisse se regi nocere neque alium sibi esse dominum, nisi Bohemiae regem:

„Et promittimus", inquit, „pro nobis heredibus et successoribus nostris bona fide sine dolo, quod coram praedictis Dominis nostris Boemie Regibus seu coram Capitaneo Regni Boemie, cui Vices suas committendas decreverint cuilibet Principi seu in Principis Dignitate constituto, de justitia respondebimus et Juri parebimus et ab eis justitiam recipiemus similiter. Si vero cuipiam alteri in nobilitate Principis non existenti adversus nos Actio seu jus quovis modo competeret, illi justitiam facere tenebimur in nostra curia et coram Vasallis nostris ea conditione, quod Rex Bohemiae Dominus noster, qui pro tempore fuerit, si causam ad ipsum provocare contingeret, aliquem ex suis ad nostri Judicii audientiam destinare possit et valeat, qui advertat et rite consideret, si con-

---

[32]) Sommersbg. I. dipl. CXI.

querenti de Justitia provideatur coram nobis: et in eum casum, ubi relatione talis nuntii destinati clareret non fore debitam administratam Justitiam in nostra curia et Vasallorum nostrorum praesentia, ut prefertur: tunc conquerens hujusmodi ab auditorio nostro provocare seu appellare poterit ad judicia Dominorum nostrorum, Boemie regum, qui pro tunc fuerint, et ibidem tali conquerenti justificari tenebimur et vice versa ab ipso postulare justitiam in causis et negotiis quibuscunque, neque sustinebimus nos citari seu provocari ad cujuscunque alterius Domini judicia quovis modo."

Ex quibus rebus intelligitur:

I. Lites eas, quas duces cum aequalibus sibi principibus haberent, apud regem vel ejus vicarium fuisse componendas atque in terra maxime Vratislaviensi, cui jam anno MCCCXXXV. in immediatam regum Bohemiae potestatem devolutae capitaneum Johannes rex praeposuit.

II. Lites eas, quae ducibus cum Vasallis vel hominibus fuissent, judicio curiae componi solitas esse coram principe a rege ducibus consentientibus ad eam rem deputato, ne ira ac studio judices corrumperentur.

III. Ab eo judicio licuisse ad regis ipsius judicia appellare, ubi duces jus facere et subire deberent.

Judicia autem illa ita constituta esse videntur, ut pares vel aequales ducibus judices fuerint[33]; quamquam non exstant multa exempla, duces, si de aliqua causa litigarent, regi rem proposuisse; qui ne ipse quidem, nisi ab illis evocatus erat, dijudicavit, etsi graviores res exstiterint. Solebant enim, ne longinquitate ac mora causarum rex ad componendas eas adduceretur, eligi principes vel nobiles, quorum se judicio partes subjicerent. Cujus rei nonnulla supersunt exempla. Velut a. MCCCXXIX. d. IX. mens. Maj. Conradus, dux Olsnensis, arbitrio ducum Saganensis et Falkenbergensis stare se velle diplomate[34]) profitetur. Atque in causa quadam inter heredes

---

33) De hac re plura postea afferentur.

34) Cfr. Sommersbg. Scriptt. I, dipl. CII.

ducis Koslensis exorta a. MCCCLV. Conrado duci Olsnensi et Kasimiro Tessinensi, qui cum Bolkone Falkenbergensi et Johanne Osueczensi de ducatu illo contendebant, a Carolo IV. rege Bohemiae id permissum est, ut placito vel arbitrio rem finirent[35]. Sed quum ne ii quidem, qui eandem partem sequebantur, concordes inter se fuisse viderentur, edicto quodam[36] Carolus litem componebat inter Conradum Olsnensem et Przemislaum paulo post exortam. Tamen neque arbitriis causae nec placitis mederi poterat, donec a. MCCCLXX.[37] duces Johannes Osueczensis et Ludovicus Bregensis auctoritate partes inter se reconciliaverunt.

Ceterum regi, si quid jubebat principes vel decernebat nexum feudalem respiciens, parendum erat.

Atque etiam alias res fidelitatis juramento regi duces promiserant eas, quas suo quisque vasallus pro eo, quod feudo fruebatur, domino debebat. In quibus enumerantur servitia illa, quae feudalia vulgo nominantur, sive ad militiam pertinent sive ad curiam, quam frequentantes et suis opibus, quantum poterat, atque consilio dominum juvare et in numero judicum versari, quum de rebus feudalibus ageretur, vasalli solebant. Nec vero quantum servitiorum a regibus Bohemiae e ducibus Silesiae peteretur, satis constat, quoniam non vasalli, sed principes ac vasalli cum illo regno conjuncti erant; quamquam id plane refutandum est, duces Silesiae, sicut Romani Imperii principes[38], pro imperio cum militibus suis ad bellum profectos esse. Etenim nihil aliud regi duces promiserant, nisi juvare eum et successores ejus contra omnes homines, quantum possent, quodque vasalli cujusque esset. Atque Conradus Olsnensis et Henricus Saganensis Duces illis litteris jam commemoratis, quibus vasallos Bohemiae se profitentur, sic rem cum Johanne rege conventam ajunt[39]:

---

35) Cfr. Walther Sil. Dipl. II, 449., ubi citatur dipl. d. 1355. in Balbin Misc. ep. 19.

36) Cfr. Sommersbg. I. dipl. LVI, Walther l. c. II. 450, 451.

37) Cfr. Sommersbg. I. dipl. CXXVII.

38) Cfr. Homeyer, Sachsenspiegel II, 2. System des Lehnsrechts p. 376.

39) Cfr. Sommersbg. I, 833.

„Si rex heredes aut successores sui a. d. nos vel successores nostros in adjutorium sibi per nos praestandum ad partes alienas extra Boemiam vel Poloniam evocaverint, subvenientiam nobis debitam (ne servitiis nimiis ac intolerabilibus pregravemur) facere tenentur."

Quare duces, etiamsi ad bella a Regibus in terris remotioribus gerenda exercitus suos educerent non necesse erat; eo tamen omnis feudorum natura ac ratio nos adducit, ut ad terras saltem Silesiacas tuendas nonnunquam profectos eos esse existimemus, praesertim quum locus quidam ex Cromeri historia in Thebesii chronico[40]) allatus eam rem probare videatur; ubi leguntur haec verba:

„Statuerat Wladislaus cursum victoriae mox persequi; sed eum Bohemi cum Silesiis ab ea cogitatione averterunt." —

Wladislaus enim, Poloniae rex, quem propter brevitatem corporis Lokietek appellabant, quum bellum gereret cum ordine cruciferorum, Johannes, ut illos valde oppressos juvaret, in terras Posnensem atque Cracoviensem simul cum exercitibus invasit. Quare quum Wladislaus rex impederetur, quominus terras Silesiae devastaret atque depopularetur; nihil est, cur non illum locum ita explicemus, ut in Bohemorum exercitu duces quosdam Silesiacos vel, si non ipsi adessent, vasallos ac nobiles illorum auxiliares atque socios fuisse putemus, qui Wladislaum feliciter bellum gerentem prohibebant, quominus cursum victoriae — ut Cromeri utar verbis — persequeretur. — Praeterea neque quantum copiarum duces ad reges juvandos paraverint, traditum est, neque alii loci exstant, quibus duces regibus Bohemiae auxilium cum suis ferentes perhibeantur.

Curiam autem regis, quae erat Pragae, num frequentare debuerint, incertum est. Nam neque eo, quod Carolo IV. regi, quum coronaretur atque ungeretur, complures adstiterunt duces Silesiae[41]), nec Boleslai III. Legnicensis verbis iis,

---

40) Cfr. Thebesii annal. Legnic. II, 176.

41) Cfr. Geschichte Schlesiens p. 130.

quibus se suosque non nisi in Bohemia renovaturos esse feuda promittit[42]), aliquid certi perspicitur.

Ea igitur sola ducum servitia regibus debita fuisse videntur, quum nec tributum, quod imperatores principibus vel ducibus regno finitimis, si finibus Germanicis bellum intulerant, vel alia de causa quavis imponere pro feudis renovatis solebant, nec vectigalia ea, quae laudemia nominantur, solvenda diplomatis Silesiacis inveniantur.

Duces igitur Silesiae quamvis servitiis et officiis, quae ipsis corporibus praestarent jure feudali, non magnopere gravarentur neque vexarentur, contra ea tamen jura, quae ex re competebant regibus dominis feudorum directis, aliquid agere haud facile ausi sunt. Neque enim id Johannes rex vasallis suis concessit, ut de terris suis, quibus fruerentur feudis Bohemicis, ex libidine quidquam statuerent, sive aliis eas tradere sive alio modo regem fallere conarentur. Quae non tantum communi[43]) feudorum jure vetita erant, sed in omnibus fere ejus modi diplomatis Silesiam respicientibus, quae et de vendendis territoriis et de devolvendis atque renovandis feudis sunt, diligentissime adnotantur. Regibus igitur, si alius aliquis atque is, qui legitime in feudo succederet, feudum occuparet, impedire eum, quominus id faceret, licebat atque usurpata jam terra expellere.

Sin vero is, qui feudo utebatur, heredibus carebat masculis legitimis, alii feudum aut statim possidendum tradebat aut exspectativum; vasallum denique, si feudum commissum male fugendo corrumperet, dispositione atque usu coërcendi potestatem rex habebat. Sed pauca ejusmodi ac fere nulla exempla nota sunt, quibus regem omnibus illis juribus adversus Silesiae duces usum esse intelligatur. Nam Johannes, qua erat gravitate et prudentia, etiamsi optime ei providebat rei, ne quis facile ducum modum libertatum, quae ei essent concessae, excederet neve quis alius usurpando feudo sibi regnique Bohemiae commodo obesset; ea tamen reliquit principibus investiendis jura, ut nexus ille, quem subierant, feudalis, nihil ha-

---

42) Cfr. Litteras investiturae d. IX. mens. Maj. 1339.

43) Cfr. Homeyer l. c. II, 2. 382 sq.

beret molesti vel acerbi. Neque enim temporibus solis, neque necessitate eo rex adductus est, sed propter bella continuo gesta pecunia saepe carens ea plerumque vendidit, quae opibus satis instructus nunquam cuiquam concessisset. Atque etiam ducibus ipsis, nimia qui liberalitate malaque terrarum administratione saepe magnis in angustiis ac difficultatibus versabantur, prospiciendum erat, ut ratio quaedam existeret, qua damnum regi non afferentes salvoque vasallorum officio, si quid ipsis contingeret, conditionem suam atque sortem in melius redigerent. Quare sic res cum rege, quum de investitura paciscerentur, conventa esse videtur, ut jus, quod dicitur, protimeseos concederetur ei a ducibus, quo ea, quae aut venderentur aut oppignerarentur, priusquam pactum de ea re legitime fieret, regi essent offerenda. Nec leve id utrosque jus habuisse nec parvum eo comprobatur, quod in compluribus diplomatis de investitura factis diligentissime omnia adnotata sunt atque constituta. In iis quidem litteris, quas Conradus, dux Olsnensis, regi dedit Henrici Glogoviensis et Saganensis diplomati simillimas, hic inest locus[44]):

> „illud insuper specifice duximus exprimendum, quod si fortasse nos vel successores nostros gravatos inopia debitis aut alia causa rationabili aliquam territorii et dominii aliquanti de nostris vendere vel obligare contingat munitionem principi nobis equali aut alteri regno Boemie competenti fideli vel vasallo nostro: ex tunc munitionem eandem, sive territorium habeat sivo non, vendenda aut obliganda ipsis, regi, heredibus et successoribus suis, Boemie regibus, exhibere pre ceteris debeamus: Qui si ipsam emere vel in pignore recipere noluerint: princeps ipse munitioncm predictam — territorium videlicet habentem — emens ac in pignore tenens in feudum ipsam recipere tenebitur ab iisdem, ipsisque tanquam veris suis dominis servire, parere et intendere de eadem; alter vero non princeps emens vel in pignore tenens munitionem nostram — territorium aut dominium, ut predicitur, non habentem

---

44) Cfr. Sommersbg. I. 832. Sed lectiones quasdam praeferebam, quas Lib. Priv. R. B. praebet.

— a nobis heredibus et successoribus nostris eam in feudum recipiet: hoc adjecto, quod rex heredes et successores sui antedicti munitiones supra dictas pro summa eadem, in qua obligate fuerint vel vendite, redimere valeant, quando velint." —

Dux autem Tessinensis sic diplomate a MCCCLXXXIV. conscripto ait[45]):

„Wir geloben in gutem Trewen und ohne alle arge List und Gevehrde, als vorgeschrieben stehet .... dasz der oder die, dem odir der wir Herczog Przemislaus Unser Erben uud Nachkommen Herczoge zu Teschen offgenannt, die vorgenannten Schloss also versaczt, verkauft und verwechselt hetten, dieselben Schlosse mit allen ihren Zugehörungen von dem vorgenannten Unserm lieben gnädigen Herrn..., dem Konigkreich und der Kron desselben Konigkreichs zu Beheimb haben und halten und Ihnen auch damit warten soll und sollen."

Atque etiam in aliis ducatibus territoria non sine regis concessu vendita esse Johannis ipsius verbis, quum de urbe ac districtu Stinaviensi fratribus Johannis ducis vendendis ageretur[46]), plane confirmatur. Vendendam enim duci urbem rex concedit verbis his usus:

„Quum nobis cum humili devotione et instantia supplicaverit, quatenus praefatum privilegium et contractum venditionis inter ipsos initum et factum, ideo quod dictus ducatus a nobis in feudum dependet et quod ab hoc necessario noster requiratur consensus, confirmare dignaremur."

Ac ne Nicolao quidem, duci Monsterbergensi, qui Bolkoni patri successerat, cuique amicitia conjunctissimus fuisse videtur, Carolus, Johannis regis filius, qui tum muneribus prope omnibus et Bohemicis et Silesiacis fungebatur, illo jure nixus aliam rem concessit. Namque diplomate a. MCCCXLI. illi dato[47]):

---

45) Cfr. Sommersbg. Scriptt. II, 47. Mant. Dipl. III. d. 1384. Lucemburgii.

46) Cfr. Sommerbg. I, 873.

47) Cfr. Sommersbg. I. Dipl. LXXIV.

„Nos, Carolus", inquit, „decernimus, quod si dux princeps heredes et successores sui legitimi civitates munitiones aut terras ipsorum aut earum alteras captivitate, magno debito, paupertate aut alia legitima incurabili nenessitate oppressi, quae sit notorio communiter manifesta — domino genitore nostro et nobis, si eas volumus emere primitus, requisitis post decursum tredecim septimanarum a die requisitionis de certa scientia nostrorum et etiam ipsorum nobilium nobis factae cui voluerint personae in dignitate ipsis equali aut majori eo jure, ut ipsi easdem terras, quas tenent et possident, vendere poterunt neque tamen ementem, nisi prius terras ipsas a domino genitore nostro aut a nobis in feudum acceperit, in possessionem corporalem mittere tenebuntur."

Nec vero inania atque vana illa verba habebantur, quibus terrarum suarum partes vendere aut alii cuiquam tradere duces non deberent, nisi rebus adversis cogerentur et gravarentur. Conradus quidem dux Olsnensis, quum a. MCCCXLV. mediam partem civitatis suae Gora et terrae Gorensis et mediam partem oppidorum suorum Stinaviae et Goben ac civitatem Frauenstadt Johanni regi traderet, causam, cur ita ageret, his verbis attulit[48]):

„Ob meram et evidentem nostram necessitatem, in quam ratione damnorum incurrimus ex eventu captivitatis et perditionis equorum et armorum nostrorum hominum... que nobis per Domini regis Cracovie homines sunt illata, pro solvendis autem damnis dictis et captivis ab eorum captivitate absolvendis... justo emtionis titulo vendidimus."

Ad quae damna reficienda ducemque ipsum redimendum V milia marcarum polonicalis pagamenti rex impenderat, id quod eodem illo diplomate perspicitur — sicut domini erat jure communi feudali; pro pecunia autem illa regi, ne damno esset, mediam ducatus partem dux Olsnensis vendidit.

Ceterum sic res se habuisse videtur:

---

48) Ex libro Priv. Reg. Boh. p. 312. 1345 feria VI. ante festum beate Mariae Virg.

I. Ut, si quis ducum territorium vel urbem venditurus esset, rex num id concederet, interrogaretur terraque ei offerretur.

II. Ut primitus illam terram emere regi liceret.

III. Ut terra, si rex emendam eam renuisset, alii venderetur.

IV. Ut si quis emeret eam vel in pignore acciperet princeps vel principi aequalis, vasallus is regis atque regni Bohemiae, sicut duces Silesiae, fieret.

V. Ut si quis alius territorium emeret, a duce in feudum illud acciperet.

VI. Ut Regi jus reservaretur terras illas, etiamsi aliis aut venditae essent aut obligatae, reluere.

Quare quum oblatione neglecta sine regis permissione territorium non posset rite vendi, duces Legnicenses, qui Conrado Olsnensi urbem Berolstadt cum pertinentiis (reservato reluendi jure) tradiderant a. MCCCXXXIX.[49]), a Johanne rege, ut sanciret rem, petierunt. — Przeslaus autem episcopus et capitulum Vratislaviense quum a. MCCCLVIII. castrum Militsch in terra Olsnensi situm cum omnibus villis adjacentibus Conrado primo Olsnensi venderent, officialis regis Wratislaviae rite illud factum esse domini loco diplomate confirmavit[50]). Bolko autem Monsterborgensis a. MCCCXXXVII. regi Johanni concessit, ut castrum suum et oppidum Reichenbach[51]) a Bolkone et Henrico ducibus Swidnicensibus relueret; ac simul urbem Frankenstein[52]) oppigneravit, quum bello, antequam Johanni regi se dederat, aliisque rebus adversis in summas difficultates atque angustias redactus esset.

Boleslao denique Legnicensi[53]) a. MCCCXLI. a rege permissum est, ut castra quaedam cum iis, quae adjacerent, pro duobus milibus Marcarum Casimiro, Poloniae regi, obligaret, ea sola conditione, ut regi, quando vellet, reluere liceret.

---

49) Cfr. Sommersbg. I, dipl. LIII.
50) Cfr. Sommersbg. I. p. 785.
51) Cfr. Lünig, Reichsarchiv P. spec. Cont. I, 1. Forts. p. 292.
52) Cfr. Sommerbg. I. Dipl. LXXII.
53) Cfr. Cod. Dipl. Moraviae VII. 297 (ex autogr.).

Quae res eo non debilitantur, quod inveniuntur ea diplomata, quae rex rata esse non jussit; velut Kasimiri III. Tessinensis quoddam[54]), quo a Wladislao Coslensi terram Severiensem emisse se profitetur confirmatione regia non adjecta. Pleraque enim Silesiae superioris documenta perdita esse scimus; neque ea, quae de jure protimeseos allata sunt, hoc uno exemplo vel perpaucis aliis in contrarium redigantur.

Conditione igitur quali duces Silesiae uterentur cum regibus Bohemiae vel quae regibus Duces deberent, quantum possem, quum exposuerim; ea quaestio proponenda est, num quid dominii atque superioritatis, quae ducibus antea in terris suis erant, eo, quod vasalli Bohemici fiebant, amiserint.

Atque si potestatem et jura ducum ea, quae habebant, antequam regibus Bohemiae se dederant, comparamus cum illis, quibus utentes postea existunt, nihil est, cur in conditione ducatuum aliquid commutatum esse putemus. Quin vero „dei gratia“ duces Silesiae se esse profitentur diplomatis iis, quae multo post investituram facta sunt, si nihil aliud, hoc certe declarantes, in ducatu ipso administrando, etiamsi regni Bohemiae vasalli essent, liberos se esse neque ab ullo homine impeditos. Praeterea ipsa feudorum natura haec erat, ut Dominus directus omnem feudi possessionem vasallo concederet atque administrandum et usu fruendum feudum relinqueret. Quae res si in feudis iis usitata erat, quae tanquam beneficia subvasallis et militibus tradebantur, quo magis ducibus Silesiacis id concessum putandum est, qui obtulerant suas terras ea certe conditione proposita, ut ducatus suos ea, qua antea, ratione administrarent? Quos quum in feudum reciperent cum omnibus pertinentiis, urbibus, oppidis, villis, castris, fortaliciis, baronibus, munitionibus, nobilibus, civibus, rusticis, incolis, juribus, libertatibus, vectigalibus: quis est, qui non jure eos principes se ac vasallos regni Bohemiae nominare concedat, praesertim cum multis diplomatis ea res comprobetur? Quibus si inspicimus ac praesertim illis, quae de juribus atque libertatibus ducum super terras suas[55])

---

54) Cfr. Cod. Dipl. Morav. VII. 297 (ev autogr.).

55) Cfr. Stenzel, Geschichte Schlesiens p. 253 sq.

aliquid afferunt, quaeque sunt de confirmandis dandisque privilegiis, de concedendis subditorum emtionibus, venditionibus, cessionibus; de imponendis vectigalibus, de constituendis molendinis vel aquae decursibus, de foris publicis inspiciendis: quis est, qui omnia libere atque impedite eos, ut veros principes, administrasse neget?

Neque enim ea, quae regalia[56]) dicuntur, jura duces Silesiae amiserunt, quippe quae diplomatis de investitura factis aut nominatim enumerentur aut tacite reserventur. Atque

---

[56]) Cfr. Boleslai III. Legnic. investituram, Thebes. ann. Legnic. II, 176., qua Johannes rex ducibus Legnicensibus promittit:

> „sie bei allin eren Recbten und bei allir Freiheit zu lassen, an Mannschaft, Zinsen, Zollcn, Gerichten, dem Obirsten, und den Nydersten . . . . Berwerk an Gold, Silber, Bley, Zen adir wie das Ertz genannt wird, Müntzen, Pfaffen, Klöstern, Monchhorten, Kirchlehen, Juden adir Wiltban, woran dasz sey.“

Henricus vero Glogoviensis atque Saganensis d. II. mens. Maj. a. 1337. (Reg. in Arch. Reg. Provinc.) dono alicui dat castrum vetus prope urbem suam cum jure in lapicidinis fodendi sitis in silva ea, quae „Oelsin“ nominatur.

D. XXVIII. mens. Apri. a. 1336. (Reg. in Arch. Reg. Prov.) Boleslaus dux Opuliensis Boldoni notario suo dominium Proskau emtum confirmans permittit, ut aurum ibi foderet.

D. XXIII. mens. Aug. 1332. (Reg. in Arch. Reg. Prov.) Johannes dux Stinaviensis urbi Lüben inopia pressae privilegia vetera confirmat et jus vendendi sales, pannos . . concedit.

D. XVI. mens. mens. Jun. 1335. (Reg. in Arch. R. Pr.) Boleslaus III. Legn. ab urbe Legnic pecunias monetales accepisse se profitetur.

A. 1337. Bolko dux Monsterborgensis quum urbem Frankenstein oppigneraret, Johanni regi „jus patronatus Ecclesiarum et collationes omnium beneficiorum cum cura vel sine cura et praesentationibus eorundem“ tradidit (Sommersbg. I. dipl. LXXVII. p. 849.).

D. II. mens. Aug. 1341. Johannes rex et filius ejus Carolus cum Henrico Glogoviensi duce ita conveniunt, ut praesentationes beneficiorum Capituli Glogoviensis alternative fierent, quod et Episcopus et Vicarius Generalis consentiunt.

Diplomate Conradi Olsnensis (Sommersbg. I. 833.) haec continentur verba:

> „reservata nobis aedificandi ac instaurandi municiones novas in terris et bonis nostris premissis, et destruendi veteres, ubicunque et quandocunque nobis videbitur, pro nostro, terrarum predictarum et hominum nostrum commodo expedire.“

ita duces existunt documentis haud paucis, ut et jus fodendorum metallorum et cudendarum monetarum et vendendi salis et tuendi clericos atque loca sacra et jus patronatus ecclesiarum et tuendi Judaeos et condendi urbes ac villas et exstruendi munitiones habuisse videantur.

Nec vero in eo, quod cum dominio maxime conjunctum erat, jure summi atque infimi judicii[57]) duces, quum regum vasalli fierent, coërciti sunt. Nam judicii jus, etiamsi nihil habet commune cum feudorum natura, tamen, quia ducatus erant feuda principum Silesiaca, a dominio ac possessione terrarum sejungi non poterat. Atque etiam in Sacro Romano Imperio iis, qui magna territoria aut in feudo aut propria habebant, illud jus a regibus tradi solebat judiciale, quo de vita atque corpore subjectorum judicarent; regis enim solius initio erat, judicium facere in rebus criminalibus et,

---

57) Cfr. Boleslai Monsterb. diploma, quo terras suas cum Jurisdictionibus et Baylia obtulisse se ac recepisse profitetur. „Baylia“ autem, sicut Adelungii glossario I, 627 perspicitur, idem significat atque „potestatem“ vel „auctoritatem.“ Nec vero ita res intelligenda est, ut jurisdictionem rex duci in feudum dedisse videatur. — Boleslaus ille cum oppignerata civitate Frankenstein (cfr. Sommersbg. I, 849.) judicium Curiae, et cum oppido Strelin judicium curiae et judicatum provincialem (Ludewig Rel. M. V, 612.) tradit. — Atque diplomate de vendito ducatu Stinaviae (cfr. Sommersbg. I, 872) judicia curiae et Provinciarum expresse adnotantur. — Nicolao Monsterb. et successoribus ejus rex id concedit, ut „liberam factionem habeant cum civibus, scultetis“ etc. (Sommersbg. I, 851.). — Ludgardis, ducissa Bithumiensis a. 1358. Conrado Koslensi advocatiam provincialem in oppido Bithom tradit (cfr. Walther Sil. Dipl. II, 451). — Saepe duces nobilibus vel monasteriis „jus ducale“ concedunt vel „Dominium ducatus“ (cfr. Sommersbg. I. dipl. LXXXIII), quo jus supremi atque infimi judicii contineri solebat; velut Bolko Monsterbg. d. XXIX. mens. Maj. a. 1341. omne jus ducale in villa Falkenberg Peregrino de Peterswalde tradit (Reg. in Arch. R. Pr.). Atque a. 1340. Kasimirus Koslensis jus ducale in villa Mechitz Straloni Odmudensi oppignerat (Walther Sil. Dipl. II, 448). — Boleslaus III. Legnic. statuit, ut civibus Goldbergensibus in causis, quae ad ipsum pertinerent, et si appellarent, non nisi in urbe Legnic et apud judicem Curiae jus fieret. (Reg. in Arch. R. Pr. d. XXV. mens. Jun. 1329). — D. XXV. mens. Novbr. 1330. Johannes Stinaviensis civitati Goram jus Glogoviense dat et jurisdictionem in villis cum urbe conjunctis (ibidem). — D. XV. mens. Decbr. 1332. idem dux constituit, quo jure cives Fraustadenses iudicarentur (ibidem).

cui vellet, tradere. Contra ducibus Silesiae non alia de causa omne judicium erat, nisi quod simul cum illis juribus, quae liberi antea principes habuerant, ac privilegiis relinquebatur infeudatis a regibus Bohemiae. Nec quidquam exstat documenti, quo tradidisse aut Wenceslaum aut Johannem duci alicui Silesiae judicandi jus perspiciatur; sed reservatum iis est sic, ut cetera regalia jura, quia pacto de infeudando, quod dicitur, ita conventum erat. Quare quum vel iis, qui multo minoribus quam in Silesia, terris infeudati erant, libere feudo uti liceret; quis est, qui Silesiae ducibus illud, sine quo dominium nullum est, judiciorum jus defuisse neget? praesertim quum rem ita se habuisse multa ducum diplomata confirment. Atque si urbes vel territoria venduntur vel obligantur, jura cum alia, quae simul traduntur, tum jurisdictio ipsa enumeratur; nobilibus autem et baronibus vel monasteriis id a ducibus concedi solebat, ut in villis suis ac dominiis superiore judicio et inferiore uterentur. Ducum vero erat, quo ubique jure iudicaretur, constituere atque, ut ipsis videbatur, decernere; neque ullo modo a regibus in ea re impediti sunt. Praeterea iis causis, quas subditi apud curiam ducis agebant, regem intercessisse haud facile cogitandum est; ac ne tum quidem, quum causa aliqua subditis cum ipso duce erat, velut de debitis, terris, libertatibus, vectigalibus, aliis rebus, rex subditos auditurum se esse ducibus promiserat; Boleslao III. quidem Legnicensi Johannes rex judicium supremum et infimum in castris et villis atque in terra omni expresse reliquit[58]).

Quod non solum duces Legnicenses a rege se impetrasse fatentur, sed duces Saganensis et Olsnensis (iisdem fere verbis usi) haec diplomatis ajunt[59]):

„Hoc adjiciendum duximus nominatim, quod si nos ipsi heredes vel successores nostri prefati cum clericis civibus rusticis vel Judaeis nostris aliquid cause questionis aut judicii instauraverimus; de his et hujusmodi rex et

---

[58]) Cfr. Thebes. ann. Legnic. II, 176 „in Burgen, Steten, Dörferrn uud off den Landen allirhanden."

[59]) Cfr. Sommersbg. I, 832, 833.

successores sui predicti nobis heredibus et successoribus nostris superstitibus intromittere se non debeant modo quovis."

In qua re etiamsi quis mirari potest, quod ducum causae apud ipsorum curias agebantur, tamen usitata ea res erat, et in Sacri Romani Imperii feudis similia ei pleraque inveniuntur. Atque soli Boleslao Legnicensi, de quo cives Legnicenses saepe questi erant, rex idem, quod aliis, concessisse non videtur. Cui tum demum, quum regem ex Silesia discedentem usque ad urbem Görlitz secutus esset, multaque ei promisisset, hoc permissum est privilegio dato[60]):

„Si cum rusticis, colonis, scultetis, civibus aut aliis quibuscunque subditis, ut subdibus eorum cujuscunque conditionis exstiterint (feudalibus et nobilibus tantum exceptis), si questionis querelae placitorum vel tractatuum aliquid inire contigerit: nec nos nec heredes seu successores nostri de questionibus, querelis, placitis ac tractatibus cujusmodi per nos ipsos alium seu alios nostro nomine modo aliquo intromittere, sed ipsos suae conscientiae relinquere debemus."

Dux igitur ille — quum non ita, ut antea, apud regem vel regis curiam ei standum esset, — si quid agebat cum subditis, jure illo non nisi „prerogativa de certa Johannis scientia ac benignitate regia" usus esse videtur. Relicta igitur ducibus est omnis super ducatus suos jurisdictio, ita ut judicium curiae summum subditorum existeret tribunal, a quo non nisi in rebus feudalibus, ut jam antea dictum est, ad regis judicium appellare liceret nobilibus atque baronibus, quippe qui jure ac titulo feudali plerumque cum ducibus conjuncti subvasalli regis Bohemiae essent. Quos si principes Silesiae non satis tuerentur, sicut domini esset, neque arbitrio vel placito[61]) res componeretur, rex ipse contra ducum superbiam atque injuriam defensurum se esse diplomate confirmaverat. — Quae quum ita sint, jura omnia, quaecunque principes Polonici habere solebant, ducibus Silesiae conservata esse putan-

---

60) Cfr. Sommersbg. I, 933. Privilegium d. XIX. mens. Maj. a. 1329. Gorliciis.

61) Diplomate d. Kal. Novbr. 1332. (Reg. in Arch. R. Pr.) Boleslaus Legnic. et duo nobiles arbitri existunt liti cuidam inter duos nobiles exortae.

dum est. Atque etiam ipse Johannes rex, quum a. MCCCXXXVII. d. VI. mens. Jan. terram et civitatem Prudnik prope Oppaviam sitam Boleslao duci Opuliensi dominoque Falkenbergeusi pro duobus milibus marcarum venderet „jure hereditario proprietatis titulo . . . perpetuo sibi et suis heredibus legitime possidenda cum omnibus . . . . pertinentiis pleno iure ac dominio", his usus est verbis[62]:

„Transferentes in predictum Ducem et suos heredes: eorundem districtus terre et civitatis Omne Jus Ducatus, dominii et pleni principatus . . . et Volentes, ut easdem possideat et habeat, quemadmodum nosmet ipsos possidere deberemus . . . atque ut eosdem ipse dux Falkenbergensis in eo jure possideat cum successoribus suis perpetuo, sicut possidet Falkenbergensem terram predictam, hoc est in Jure Polonico Ducali, et sicut pater ipsius ducis terram eandem Falkenberg possedit ab antiquo: In feodum tamen a nobis et successoribus nostris Bohemiae Regibus, sicut noster princeps: In Jure tamen Polonico et Ducali, vasallus . . . noster existens et servitor . . . (recipere tenebitur)."

Quare quum de juribus atque officiis ducum disseruerim, restat, ut, quod feudorum tempus fuerit et quis sit finis constitutus, quantum possim, exponam.

III. De tempore feudorum atque fine.

Ducibus Silesiae, quum Bohemiae vasalli fierent, ducatus non solis ipsis, sed — id quod feudi hereditarii natura perspicitur — heredibus eorum masculis traditi sunt legitime descendentibus. Quamobrem et duces, quidquid promiserunt, heredum nomine polliciti sunt, et reges Bohemiae, quae illis concesserunt jura, ea successoribus confirmarunt. Eadem igitur ratione, qua duces illi a Wenceslao atque Johanne investiti feudis suis usi erant, filii eorum ducatus administrabant, nec regibus erat potestas impediendi eos, quominus in feudis succederent, nec jurium partem ullam iis demere licebat. Quae quamvis communi feudorum ratione comprobarentur, a quibusdam tamen ducibus expresse in diplomatis de investitura factis

[62]) Cfr. Cod. Dipl. Silesiae VI. p. 178.

adnotantur. Velut Kasimirus, dux Tessinensis, si terra sua vacare contingeret, sic cum rege rem esse conventam ait[63]), ut:

„heredes et successores sui duces Tessinenses eam ab ipso domino rege in feudo deinceps semper recipere deberent ac tenere facto sibi per eos servandae perpetuae fidelitatis homagio."

Id autem secundum jus feudale usitatum erat, ut, qui in feudo succederet, is tempore quodam peracto post mortem vasalli feudum ipse renovaret. Atque etiam regibus, si aliis succedebant, ab omnibus vasallis homagium denuo fieri solebat. Duces igitur Silesiacos, si quid ejusmodi accideret, a communi vasallorum consuetudine non discrepasse constat, quum ea multa exstent diplomata, quibus et homagio facto juramentoque praestito eadem fere ratione, qua patres habuerant, feuda recepisse profitentur et regis filio, si patri succederet, homagium se facturos esse promittunt. —

Quod vero ad locum attinet, quo duces feudis renovatis investirentur: non Pragae, quod regum Bohemiae erat caput, sed in Silesia ipsa investitura facta esse videtur. Quamquam non alia de causa id concluditur, nisi, quod Boleslao III. Legnicensi atque heredibus ejus et successoribus hoc tanquam privilegium[64]) conceditur, ut Pragae tantum investirentur. Quapropter a. MCCCXXXI. Boleslaus eo se contulit[65]), ut cum Ludovico ac Wenceslao filiis ducatus Legnicensem et Bregensem, quos fere omnino administrandos illis jam reliquerat, communes in feudum reciperent. Filii postea ipsi in castro Pragensi et regi homagium denuo faciunt et Carolo, regis filio, qui Moraviae tum praeerat, parituros se esse rege defuncto pollicentur[66]).

Multa[67]) praeterea ducum Legnicensium exstant ejusmodi

---

63) Cfr. Sommersbg. I, 804.

64) Cfr. Thebesii ann. Legnic. II, 171.

65) Cfr. Sommersbg. I. dipl. CXXX.

66) Cfr. Cod. D. Mor. VII, 363 (ex autogr.) d. XXX. mens. Jul. 1343.

67) Cfr. investituram Ludovici Legnic. et domini Bregensis a. 1383. (Walther S. D. II, 375) — investituram Ruperti et Womislai Legnic. eodem die („am Obristen Tage i. e. d. VI. mens. Jan.) Sommerbg. I. dipl. CXXXXII. — investituram Ludovici Legnic. et Domini Goldbergensis d. XXX. mens. Novbr. Thebes. ann. Legn. II, 257.

documenta. Sed etiam de Bolkonis Monsterbergensis filio Nicolao[68]) ac de Conrado II. duce Olsnensi[69]) idem traditur; neque alia fuisse causa videtur, cur tali privilegio uterentur, nisi quod Nicolao duci conjunctissimus amicitia Carolus rex valde favebat; Conradum vero, nescio cur, etiam in aliis rebus[70]) super alios duces efferebat. Fortuito denique factum esse arbitror, ut Przemislaus Tessinensis[71]) Pragae homagium regi faceret.

Laudemium autem quoddam, quae pecunia pro feudo renovato dabatur, curiae feodali regni Bohemiae a ducibus Silesiae, ut jam antea dixi, solutum esse non videtur. Immo vero reges ipsi eo duces adducunt, ut, dum viverent, successoribus suis homagium fidelitatis praestent; atque etiam filiis eorum et heredibus libenter successionem in feudo concedunt. Sed Germanico jure post investituram duces Silesiae in ea re utebantur, quo neque cognatis licebat in feudo succedere, neque, quod quis feudum habebat, filiis distribuere. Antea vero secundum jus Polonicum fratrem frater vel filius fratris in ducatu sequi solitus erat. Jus igitur ita mutatum etiamsi duces coërcebat atque impediebat, quominus iterum iterumque terras dividerent resque suas diminuerent, grave tamen ac molestum exstitit, quum terrae, si duce mortuo vacarent filiis legitimis non relictis, ad regem protinus devolverentur. Quare id a rege duces quidam impetraverunt, ut ex potestate ea, quae ei erat feodorum domino directo, non tantum filiis legitimis, sed etiam fratribus permitteretur in ducatu succedere, sique jam mortui ii essent, filiis eorum atque heredibus. Conradi quidem, ducis Olsnensis, haec exstant verba litteris de investitura factis adnotata[72]):

> „Volentes et firmiter statuentes, ut, si forte nos heredes aut successores nostri sublati de medio fuerimus, heredibus legitimis et praesertim masculis non relictis:

---

[68]) D. XXIV. mens. Aug. a. 1341. (Balbini Misc. ep. 36).

[69]) D. XXIII. mens. Febr. a. 1367. (Sommersbg. III. dipl. LVIII.).

[70]) Cfr. Sommersbg. III. Cont. Dipl. CXXXXIX. d. Prage a. 1356. quo Carolus IIII. Ducibus Olsnensibus aulam libere frequentandam concedit,

[71]) Cfr. Sommersbg. Mant. Dipl. II.

[72]) Cfr. Sommersbg. I, 833.

ex tunc jam dicta bona nostra, terrae, civitates et oppida cum omnibus suis pertinentiis, ut predicitur, ad fratres nostros principes illustres Dominum Henricum, Ducem Zlesie et Glogovie, Saganensemque Dnum ac Dnum Joannem, ducem Zlesie et Glogovie ac Dnum Stinavie heredesque suos masculos duntaxat, si quos reliquerint; si autem nullos post se masculos legitimos reliquerint, ad regnum Boemie predictum libere et hereditarie debeant pertinere."

Atque hic alter inest locus in Johannis regis diplomate Kasimiro duci Tessinensi dato[73]):

„Ad majoris expressionem gratie nostre prefato Kasimiro concedimus et favemus, ut si Illustrem Johannem ducem Osueczensem fratruelem suum principem nostrum dilectum sive in futurum quoscunque Principes et Dominos Osueczenses absque liberis legitimis ex se genitis decedere contigerit: quod ex tunc ipsius vel ipsorum terra et ducatus Osueczensis ad eundem Kasimirum ac heredes suos in perpetuum plane devolvatur et habeatur."

Provisum igitur est a ducibus Conrado Olsnensi, quem filiis caruisse scimus, et Johanne Osueczensi, qui Canonicum Cracoviensem se esse litterarum suarum exordio profitetur, ne post mortem suam terrae illae ad regnum Bohemiae devolverentur. Nec vero possessionem quandam communem feudorum vel ususfructum eo rex ducibus concessit, sed exspectationem solam. Simultanea autem investitura[74]) non nisi in ducatu Coslensi facta esse videtur; quam Wladislai ducis fratres, Semovithum et Georgium assecutos esse traditum est, ita ut Wladislao mortuo statim illi duces Coslenses vasallique regis fierent.

Atque etiam feminina quaedam, ut dicuntur, feuda a rege Johanne in Silesia constituta sunt, ea enim, in quibus liberis masculis non relictis filiae succedebant. Henrico quidem, duci Glogoviensi et domino Saganensi, cum filios sibi fore desperaret, id rex concessit a. MCCCXXXVIII. Eadem

---

73) Cfr. Sommersbg. I, 804.

74) Cfr. Sommerb. III, dipl. CXX.

res in Wladeslai Koslensis litteris reversalibus invenitur. Boleslao autem duci Falkenbergensi vel potius fratribus ejus a. MCCCXXXVII. hoc concessit rex[75]):

„Si heredibus legittimis post se non dimissis decedet, saepedicta terra Falkenberg ... ad fratres saepedicti ducis, scilicet duces Opulienses ... jure hereditario praedicto pertinebunt, quorum etiam filios heredes censeri volumus.“ —

Ac de ducatu Olsnensi[76]): „propter ingentem ardoris affectum et ingentem sollicitudinem, quam erga regale culmen assidue gessissit“ Conradus dux, quippe quum terrae suae partem regi tradidisset, sic Johannes rex constituit:

„Si, quod absit, prefatum ducem ab hac luce migrando absque herede vel heredibus masculis decedere contingeret, quod ex tunc filia sua dicta Hedwigis, quam habet in praesenti, vel legitimi ipsius heredes de ipsius corpore descendentes, omnes suas terras dominia et possessiones, quas ipse dux habet in presenti vel habiturus esset in posterum, pleno juris titulo apprehendere hereditarie et possidere pacifice possit et debeat, tanquam proles valeret masculina, quas quidem terras predicta sua et ejusdem filie heredes legitimi de corpore ipsius descendentes a nobis ... in feudum semper habebunt et recipient et de ipsa tanquam fidelis et princeps more aliorum principum nostrorum debita obsequia fidelitatis tenebitur exhibere non obstantibus quibuscunque constitutionibus.“

Lesconi (Ladislao) denique duci Ratiboriensi concedit „in perpetuum“[77]) eandem fere rem his verbis usus:

„.... (filii) sui legittimi ac filie, si quos aut si quas habet vel habuerit in predicta terra sua Ratibor sibi invicem semper succedere debeant jure et titulo feudali; quibus si caruit, ex tunc ipsam terram post ipsius Lesconis decessum Jure congruo possidendam possit in vita sua alicui principum ad nos heredes et successores

---

75) Cfr. Cod. Dipl. Sil. VI., p. 178.

76) Ex libro Privil. Reg. Boh. p. 312.

77) Cfr. C. D. Silesiae VI. p. 180.

nostros Reges Boemie antedictos debitum per feudales semper habenti respectum, et valeant resignare; resignatio vero hujusmodi nobis debet per eum, cui terra ipsa resignata fuerit, intimari[78]); quam ratam et gratam nos promittemus habituros; quo si forte non facto morte preoccupatus fuerit; ex tunc ad propinquiorem suorum consanguineorum, quicunque fuerit, ipsa terra Ratibor sit absque difficultate qualibet devoluta, jure nobis recipiendi terram . . . et habendi in feudum reservato."

Singulare id diploma est eoque gravius, quod decem annis, postquam conscriptum est, acerbissima de successione causa apud regem ipsum Bohemiae acta est. — Heredes igitur si nulli legitimi supererant vel si quis ducum suo suorumque nomine hereditario feudo renunciarat, tum demum ducatus, quum plane vacaret, ad regem feudi dominum devolvebatur. Quae res etiamsi non continetur iis, quae de principum feudis suut, diplomatis, tamen in communi feudorum natura ita inhaeret, ut vel mirandum videatur, quod ejusmodi locus Boleslai Monsterbergensis diplomate[79]) inveniatur. Ubi dux quum de successione quaedam, ut fieri solebat, constituisset, haec verba addit:

„Si nos ab hac luce migrare contigerit liberis legitimis videlicet Masculis non relictis, Ipse ducatus noster cum terris et pertinentiis suis universis omni eo jure et forma, quibus nunc habemus, ad ipsum regnum Bohemie et coronam ipsius perpetuo protinus debent devolvi."

Similia idem regi, quum urbem Frankenstein pro duobus milibus marcarum a. MCCCXXXVII. oppigneraret, promisit[80]):

„Si heredibus vel herede masculo vel masculis post nos, quod absit, non relictis decesserimus, ex tunc dicta Civitas Frankenstein cum prenotatis suis appendiis universis, velut alie Civitates Terre et bona omnia nostra ad ipsos Dnum Regem heredes et successores suos Reges Bohemie tanquam ad nostros veros et legitimos successo-

78) Sic ex coniectura editoris l. c. allata.

79) Cfr. Balbini Misc. ep. 33. et Sommersbg. I, 848.

80) Cfr. Sommersbg. I, 849.

res debebunt esse ipso facto absque impedimento quolibet devoluta."

Boleslao enim illi unus tantum filius erat, Nicolaus, qui ipse filiis carebat; quare ita inter eum atque regem conventa res videtur, ut filiabus in feudum non admissis post Nicolai decessum ducatus ille ad regem devolveretur. Cujus rei testis est hic locus e diplomate Caroli, regis filii, sumptus[81]:

„Nicolaus dux . . . Patruus princeps et amicus noster dilectus civitates et terras suas omnes, Munsterberg, Frankenstein, Strehlin, Domini Genitoris nostri et nostrae subdidit ditioni in eum casum, quod civitates et terrae ipsius, Nobiles et cives sculteti et ceteri habitatores ad nos respectum habere debeant, si in ipso non relicto herede legitimo sexus masculini quicquam humanitus eveniret."

Quare etiamsi non sincera Boleslai illa verba videntur, — qui quamvis heredibus masculis praeter Nicolaum plane careret, non alteram mulierem in matrimonium se ducturum esse promiserat[82]), si ea, quam tum habebat, mortua esset; — atque etiamsi Nicolaum speciali cum Carolo amicitia conjunctum fuisse putamus — id quod vel epithetis illis: „patruus et amicus noster dilectus" comprobatur — tamen dubitari non potest, quin non solum ducatus Munsterbergensis, sed ceteri omnes Silesiae ad regem, si filii, vel — quoniam id privilegii nonnullis erat — si filiae legitimae vel fratres ac fratrum heredes non supererant.

Vix enim intelligatur, si urbem rex vel territorium jure feudali devolutionis brevi consequi poterat, cur aliis eis, quibus secundum id, quod antea in Silesia fuerat, jus Polonicum succedendum esset, non nisi gratia atque clementia ductus tradiderit.

Exstat quidem diploma quoddam[83]), quo „Conradus Olsnensis et Casimirus Tessinensis dei gratia duces ab una et

---

81) Cfr. Sommersbg. I. dipl. LXXV.

82) Cfr. Ludewig Rel. M. V. 618.

83) Ex libro Priv. Reg. Boh. p. 246, 247.

Boleslaus Falkenbergensis, Boleslaus Opuliensis et Johannes Osueczensis eadem gratia duces parte ab altera“ recognoscunt:

„quod quamvis ducatus Bithumiensis et Coslensis ... post mortem ducum Bithumiensis et Coslensis ... sint jure communi et approbata terrarum Poloniae laudabili consuetudine de certa sua scientia legitime devoluti ... tamen (rex) Dominus suus ex innato sibi benignitatis officio et gratiosi favoris munificantia sibi indulserit, quod inter se mutuo de juribus sibi competendis experiri possint.“

Id tamen rex eos admonuit[84]), ne „ex hac gratiosa concessione praejudicium facerent“, si de terris ad regnum Bohemiae devolvendis ageretur. Neque alia de causa tam gratiosum praebuisse se rex videtur, nisi, quod ducibus illis, etiamsi heredes legitimi non erant praeter cognationem, jura tamen inde competebant haud spernenda, sive terrarum partes in pignore habebant, sive pro dote nondum soluta aliquid postulabant; quae res propter diplomatum paucitatem haud facile erit disceptanda.

Alia ejusmodi res[85]) Lescone, cujus jam antea litterae allatae sunt, Ratiboriensi duce mortuo a. MCCCXXXVII. inter Wladislaum Bithumiensem, Kasimirum Tessinensem, Bolkonem Falkenbergensem, Bolkonem Opuliensem, Albertum Strelicensem, Johannem Osueczensem agebatur, Silesiae superioris duces, atque Nicolaum Oppaviensem, qui nescio quo jure terram Ratiboriensem occuparat et a rege in feudum receperat. Partes igitur a rege evocatae, quum apud curiam regni Bohemiae adessent, „questio suborta est, quo jure, utpote polonicali aut feodali (res) tractari agitari deberet ac finiri, asserentibus ... ducibus (Silesiacis), quod, cum ipsi Poloni essent, et juxta continentiam litterarum rex jus polonicale in suis dumtaxat terris habendum et exercendum dedisset, (rex) eos in dictis questionibus in jure polonicali et non feodali conservare et secundum jus polonicale eas audire decidere et definere deberet.“ — Contra rex declaravit „inter

---

84) Cfr. Balbin. Misc. ep. 19. Pragae d. VII. mens. Mart. 1355.

85) Cfr. Cod. Dipl. Sil. VI. 180, 181. d. XIV. mens. Jan. 1337.

partes predictas super rebus feodalibus non polonicali, sed feodali jure esse procedendum: quia ducatus Rathiboriensis et cetere terre in questionem, ut predicitur, deducte non infra limites terrarum dictorum ducum, sed sub Suae Majestatis dicione tanquam speciale dominium et honorabile feodum Illustri persone duntaxat debitum distincte permanerent." Atque sic litem rex tandem composuit, ut Nicolao ducatum totum Ratiboriensem una cum ducatu Oppaviae confirmaret ea conditione, ut „Civitates et municiones Cozlam et Glivicz" ducibus illis relinqueret. Atque etiam ob aliam causam diploma illud, ex quo eum locum sumpsi, maximi momenti est.

Namque eo solo afferuntur quaedam de ea ratione, qua rex in causis ducum utebatur. Terminum enim litigantibus non indicavisse se profitetur, nisi „matura deliberatione prehabita et communicato Venerabilium Episcoporum Principum et baronum suorum consilio." Illo vero die ducibus „personaliter coram se comparentibus" — „pro tribunali sedens utramque partem audivit;" sed cum „intervenire inter eos" nollet, „tandem cum principibus magnatibus et baronibus ceterisque nobilibus locum, in quo pro tribunali sedebat, mutans locum recepit in sequestrum (i. e. separationem) et a singulis pro utraque partium predictarum inductis quaesivit, quid cuilibet eorum videretur." Sententiae vero, ut sibi iniquae, quum non obsequeretur Nicolaus atque iratus curiam relinqueret, ipse rex aliter dijudicando rem finivit.

De jure igitur devolutionis, quin in Silesia usitatum fuerit, nihil jam dubii reliquum esse videtur, si heres legitimus non aderat, qui in feudo succederet; sin vero filius quidem legitimus aderat, sed non ea aetate, qua investiretur, regis erat tutorem ei et curatorem constituere, qui terram administraret, donec ille eo aetatis, quo opus esset, pervenisset. Boleslao quidem Monsterbergensi, si id contingeret, Johannes rex ipsum se „tutorum fore et curatorem legitimum[86]" promiserat. Atque etiam iis consulendum regi erat, qui quamvis a duce quodam descendentes feudum ipsi non receperant,

---

86) Cfr. Sommersbg. I. 848, 849.

quum fratres iis essent natu majores; nec minus, si qua vidua ducis relinquebatur. In qua re sic usitatum fuisse videtur, ut uxori dux terrae aliquam partem traderet vel assignaret, qua, si ipse praemoreretur, vidua otiose frueretur; dotem vero filiabus duces cum regis consensu ex feudo sumptam dare solerent. Velut Conradus, dux Olsnensis, Bertholdo, Burggravio Magdeburgensi MDC marcas, quae esset sororis suae Beaticae pecunia dotalis, solvit a. MCCCLIX.[87]); quam rem diploma regium a. MCCCLXXIV. conscriptum confirmat. Nicolao vero Monsterbergensi, qui solus ipse in feudo post patris mortem remanebat, rex promisit se velle[88]):

> „Cuilibet filiarum . . . dare et solvere 2000 sexagenarum et ipsis universas terras saepe dictas, civitates cum suis appendiis, usu fructu et utilitate cum omnibus juribus dominiis honoribus et emolumentis feudis feudalibus civibus scultetis rusticis habitatoribus terrarum universis, eo jure, prout predicte terre per dominum ducem in presentiam possidentur, donec cuilibet earum duo milia sexagenarum grossorum Pragensium usualis et currentis monetae solvit — nomine justi feudi justi pignoris obligare."

Eodem hoc diplomate „a quovis molestante et nominatenus a repetitoribus debitorum felicis memorie . . . Bolkonis . . . et certis hostibus defensare" Nicolaum se velle rex pollicetur.

Quare quum Bolkonis quoque Koslensis filiabus relictis dotalis pecunia haud parva assignaretur[89]), nihil est, cur officium id fuisse regis negemus; praesertim quum in omni illa gravi et longinqua causa, quae inter duces Tessinensem et Olsnensem de hereditate Koslensi agebatur, Bolkonis filias

---

87) Cfr. Walther Sil. Dipl. II, 428 et 429.

88) Cfr. Sommersbg. I, 851.

89) Cfr. Sommersbg. III. Cont. Dipl. VII. et CXXI.; Walther Sil. Dipl. II, 451—453. Alia exempla dotalicii:

Walther, II, 348.	(A. 1360.) Constantina Abatissa dotalicio et jure hereditario in Glogow renunciat.
ibidem., II, 376.	(A. 1396.) Dotalicium statuitur Annae, uxori Henrici ducis, qui nepos erat Ludovici Legnicensis.

rex, quantum posset, adjuvaret, ac Przemislaum ducem Tessinensem, ad quem tutelam earum transtulerat, eo adduceret, ut causa feliciter peracta pecuniam conventam illis solveret.

Restat igitur, si ducatus vacaret, quae tandem ad regem devoluta sint, demonstrare. Atque id constat, terram ipsam, quam dux in feudo habuerat, regis factam esse cum omnibus, quae eo pertinebat, sive ducis erant sive a vasallo quodam aut nobili tenebantur, cum omnibus urbibus et civitatibus, munitionibus ac territoriis, et quibus initio dux investitus erat, et quibus postea ducatum auxerat. Velut Bolko Monsterbergensis civitatem Frankenstein cum districtu eo pertinente regi tradidit[90]), si heredes non superessent, possidendum: „cum fortaliciis, judicio curiae, obventionibus, gratiis, immunitatibus, juribus, dominiis, libertatibus, honoribus, exactionibus pecunialibus annonalibus, pecuniis monetalibus, censibus, reditibus, jurisdictionibus, feudis feudalibus emphytheuticis, ad glebam adstrictis: jure patronatus ecclesiarum, collationibus omnium beneficiorum cum cura sive sine cura et presentatione eorundem, nec non agris cultis et incultis, montibus, planis, silvis, rubetis, pascuis, agris aquarumque decursibus, molendinis, piscinis, piscationibus, aucupationibus, venationibus, commodis, emolumentis, utilitatibus . . .“

Quae omnia Conradus quoque dux Olsnensis a. MCCCXLV. cum media ducatus parte ad regem devolvi jussit.

Etenim quidquid cum ducatu in feudum dato conjungebatur, ipsum fiebat feudum — id quod Boleslai Falkenbergensis diplomate de terra Prudnik acquisita[91]) comprobatur — nec regis erat, si quid ad eum devolvebatur, quid fuisset feudum, quid proprium, demonstrare. Quae res vel diplomatum formulis quibusdam intelligitur; velut Boleslao III. Legnicensi sic jurato rex se ait terram tradidisse[92]):

Walther, II, 395. (A. 1362) Magistratus Legnicensis urbi imponit dotalicium Hedwigae, uxori ducis Ruperti, solvendum.

ibidem., II, 499. (A. 1355.) Agnes Abatissa Trebnicensis et Catharina sorores ducis Koslensis Conrado I. Olsnensi affini potestatem dant, ut hereditatem suam reciperet.

90) Cfr. Sommersbg. I, 849.

91) Cfr. Cod. D. Sil. VI. 178.

92) Cfr. Thebes. ann. Legnic. II, 171 seq.

„. . . Also das wir ym seinen Erben und Nachkomlingen dieselben und alle anderen ire eygen Land, die her von seinem seiner Erben und Nachkomlingen Namen Uns mit Willen und unbetwungen offgegeben hat . . . und Unser Unserer Erben und Nachkomlingen Konigen von Behemen, und auch Unsirs Reichs zu Behemen Man davon worden ist, sie sein vorsatzt adir unvorsatzt, — wo sie die haben ytzund beyde, die dysseyt der Oder und die genseyt, wo sie die gewinnen, vorliegen haben — zu einem rechten Erblehen . . geben dieselben Lant mit Weichpilden . . . . . es sei vorlehnt adir unvorlehnt."

Quae si comparamus cum iis, quae Schickfusz, scriptor rerum Silesiacarum haud imperitus, loco quodam de eadem re affert: „In Silesia ita usitatum esse, ut omnia bona praesumantur feudalia," optime res quadrare videtur. Nec tamen reges Bohemiae, si quid tale accidebat, ducatum illum sive terram ad ipsos devoluta, ut in S. Romano Imperio fiebat, alii cuiquam tradere, sed ipsi per capitaneos administrare solebant; quae res id maxime effecisse videtur — quum ii, qui ducum antea vasalli vel barones fuerant, terra devoluta sub potestatem regum venirent, — ut feudorum postea Silesiacorum ratio a communi feudorum natura valde discreparet. Nam nec vasalli regum devolutione terrarum nec subditi illi ducum nobiles facti sunt; quare sic res a ducibus Legnicensibus provisa est atque constituta[93]):

„Si . . saepedictae terrae . . . ad supra dictos regem . . . devolvantur . . . ., barones nostri, nobiles . . . regi heredibus et successoribus suis tanquam veris et naturalibus dominis suis, ad quos ipsos praesentibus ordinamus et dirigimus, servitiis et modis aliis, juxta communem fidelium Poloniae consuetudinem intendere debeant et parere."

Quare ille idem Schickfusz recte naturam feudorum,

---

93) Cfr. Ludewig Rel. M. V. 609.

quae eo tempore erant in Silesia — erat autem initium saeculi XVII. — sic adumbrasse videtur[94]):

„Es sind aber die feuda im Lande Schlesien mehreren Theils degenerantia und irregularia. Und weichen die schlesisehen Lehen a vera Feudorum natura da gantz ab, dasz die Lehns-Leute in Schlesien theils nur das juramentum subjectionis, nicht aber die absonderliche fidelität des Vasallagii leisten, dann auch dasz in etlichen Fürstenthümern weder des Lehns-Manns Erben von dem Lehnsherrn, weder auch der Lehnsmann von des Lehnsherrn Erben einige renovatio suchen, noch die Lehn gebührendermaszen befolgen dürfen. So sind die Schlesischen Lehnsleute nicht zu den allgemeinen Lehnsdiensten, sondern nur zu etlichen gewissen verbunden, wie auch die Erb- und eigenen Güter, dieweil die Ritterdienste sowohl von Erb- und eigenen, als von Lehngütern geleistet werden. Ueber dieses haben die Lehnsleute solche privilegia, dasz sie die Lehngüter, wenn sie nicht auf dem Falle stehen, ihrem guten Belieben nach ohne Einwilligung der Lehnsherrn und der Agnaten alieniren, verwenden, verkaufen und vertestiren können, gleich als es erb- und eigene Güter wären.“ —

Duces igitur Silesiae quum terras suas Wenceslao et Johanni regibus oblatas in feudum recepissent, in principum dignitate remanserunt et quamvis vasalli omni ducali potestate ac dominio usi sunt; nec praeter ea, quae fidelitatis juramento obstricti regibus debebant, officia vel munera subierunt, quibus aut auctoritate, quae eis adversus nobiles atque subditos esset, privarentur aut facultatibus opibusque diminuerentur. Sed praesidio ducibus, commodo terris erat nexus ille feudalis, quippe qui terminum constitueret ducatibus partiendis, territoriis dissipandis; quum lites denique illas, quas continuo duces inter se habuerant, terminaret. Quod vero maximum est: ea sola erat ratio, qua Silesiae terrae, quarum summum ac primum ducem se esse rex profitebatur, in unum postea conjungerentur.

---

94) Cfr. Schickfuss, Schlesische Chronica III, 302 sqq.

VITA.

Edmundus Franke, fidei catholicae addictus, natus sum Opolii, in urbe Silesiae superioris, a. h. s. MDCCCXLIII. die XXIII. mens. April. patre Augusto, matre Anna, e gente Rigoll, quos diu incolumes Deus O. M. mihi conservet. Elementis litterarum in ludo publico institutus gymnasium Opoliense adii, quod etiam nunc V. Ill. Augusto Stinner directore floret; unde a. MDCCCLXI. testimonium maturitatis assecutus ad hanc almam litterarum sedem me contuli, et a V. Ill. Semisch tum fasces tenente inter cives accademicos receptus apud V. Ill. Haase amplissimi philosophorum ordinis decanum nomen dedi. Scholis per septem semestria interfui imprimis V. V. Ill. Branisz, Haase, Hertz, Junkmann, Roepell. Praeterea proseminarium regium philologicum, cuius exercitationes V. V. Ill. Hertz et Luebbert moderabantur, per tria semestria frequentavi, ac simul institutione V. Ill. Junkmann privatissima per duo semestria usus initio V. semestris in seminarium regium historicum, cui V. V. Ill. Junkmann et Roepell praesunt, inter primos receptus sum. Ac tanto ab his V. V. Ill. historicorum studiorum amore inflammatus sum et incitatus, ut, quum anno peracto amplissimus philosophorum ordo quaestionem proposuisset ex historia Silesiaca sumptam, in certamen ego litterarium descendere conatus praemio ornatus egrederer.

His igitur viris optime de me meritis quum omnibus, tum V. V. Ill. Junkmann et Roepell, qui studiorum meorum ac laborum adiutores fuerunt liberalissimi et fautores, gratias quam maximas ago.

THESES.

I. Pacem, quae vocatur Cimonis, a. a. Chr. CCCCXLIX. factam esse falso contenditur.

II. Gn. Pisonem Tiberio iubente Germanicum veneno necasse non satis constat.

III. Ordalia non medii aevi, sed antiquitatis potius instituta habenda sunt.

IV. Henricus I. Germanorum rex unctionem non admisit, ne cleri gratia rex esse institutus videretur.

V. Contra Henricum IV. imperatorem Saxones ademptione ducum popularium irati surrexerunt.

VI. Godofredum de Bouillon primae cruciferorum expeditioni praefuisse non satis recte contenditur.